



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 2. An excommunicatio lata contra innocentem secundum allegata &  
probata, sit valida.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



DVBIVM I.

Quale peccatum debet esse, ob quod possit quisquam excommunicari?

23 Ob veniale excommunicari, nequis.

Respondeo & Dico Primò: Neminem posse excommunicari ob peccatum veniale. Ratio est; quia hoc peccatum non meretur tantam pœnam. Excommunicatio enim est pœnarum omnium, quas Ecclesia potest inferre, gravissima. Vnde D. Augustinus lib. 1. contra Aduersarium legis & prophetarum cap. 17. ait. Illud, quod ait, (scilicet Dominus) si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, grauius est, quam si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subijceretur. Hinc colligitur optima regula: Nunquam incursum esse aliquam excommunicationem, nisi quando peruenit ad mortiferum. Ex qua regula multæ difficultates possunt solui.

Sed ob solùm mortiferum cui adiuncta contumacia.

Dico Secundò: Non ob quamuis culpam mortiferam potest ferri excommunicatio; sed ob solam contumaciam: vt, si monitus nolit ab aliquo peccato mortifero desistere: si recuset restitutionem facere: si citatus à Superiore, nolit comparere: si sententiæ iudicis Ecclesiastici nolit parere. Colligitur hoc Matth. 18. vbi Dominus nō vult fratrem peccantem statim tanquā Ethnicum haberi; sed, si Ecclesiam non audierit. Et Apostolus ad Titum 3. v. 10. post primam & secundam admonitionem vult hæreticum hominem deuitari.

24 Si habes istam causam, vel nane non es soluendo

Notandū Primò: Si subditus habet iustā causam, aut certè non potest præstare quod iubetur, non est coram Deo excommunicatus: vt, si excommunicetur, qui non est soluendo, vel saltem non potest sine graui incommodo, nisi fortassis creditor esset in pari vel grauiori necessitate: tenetur tamen eo casu eam partem soluere, quam potest. Quòd si non possit nunc, possit autem post aliquod tempus, tenetur tunc sub pœna eiusdem excommunicationis, modò permaneat idem iudex; quia adhuc durat vis illius sententiæ: secus, si iudex sit depositus, vel mortuus. Vide Sotum dist. 22. qu. 1. ar. 2.

Si possis postea soluere.

25 Contumacia non eadem sufficit ad excommunicationem ab homine, quæ à Iure

Notandum Secundò: In excommunicationibus à Iure, non requiri aliam contumaciam, quam eam, qua facit contra Ius, quod passim notum est, sciens vel scire debens huiusmodi pœnam illi esse annexam. Secus est de excommunicatione, quæ fertur in aliquos per modum sententiæ.

Leuiter excommunicans, peccat.

Notandum Tertio: Concilium Trident. sess. 25. capite 3. de Reformatione, præcipere omnibus iudicibus Ecclesiasticis, vt in causis ciuilibus non vtantur excommunicatione, nisi alijs Iuris remedijs antè tentatis: neque etiam in criminalibus, si realis executio fieri potest. Vnde grauius peccant, qui tam facile homines ob debita excommunicant.

DVBIVM II.

An excommunicatio lata contra innocentem secundum allegata & probata, sit valida?

26 Quidam existimant validam.

Quidam putant esse validam, eò quòd secundum ordinem iuris lata sit. Ita Durandus dist. 18. q. 4. & alij, quos refert & sequitur Co-uarruias in Cap. Alma, l. p. §. 11. num. 14.

Sed verius est, Non esse validam, quamuis ratione scandali publicè feruari debeat. Tenet Cæcilianus 2. 2. q. 7. ar. 4. Adrianus Quodl. 6. Gabriel dist. 18. q. 2. Petrus Soto lectione 3. de Excommunicatione. Dominicus Soto dist. 22. qu. 1. art. 3. Probatur Primò: Quia talis sententia est iniusta: est enim condemnatio innocentis, & procedit ex falsa præsumptione: ergo non obligat. Probatur Secundò: Quia sententia iudicis est instar priuateg cuiusdam legis: atqui lex intrinsecè iniusta, non est lex, sed tyrannis, vnde nec obligat: ergo &c. Probatur Tertio: quia in iudicijs secularibus non tenetur quis obedire sententiæ, quæ falsè præsumptioni innititur, nisi fortè ob scandalum. Denique non est credibile Ecclesiam velle innocentem priuari tantis bonis, scilicet Suffragijs, Sacramentis, &c. aut Deum talem sententiam ratam habere: non enim hæc potestas est ad opprimendos innocentes, sed ad puniendos contumaces. Vide lib. 3. de Iustit. & Iure c. 29. dub. 10. vbi late deducitur, iudicem non posse condemnare reū, qui per testes legitime est probatus criminosus, quem tamen ipse iudex certò nouit innocentem.

Verius notatur. Innocens in publico celebrans, non sicut regularis.

Hinc sequitur, Si talis celebret, etsi in publico, non fieri irregularem, quidquid dicant aliqui Canonistæ. Ratio est: quia Sacerdos celebrando non violat censuram quæ reuera non erat obstrictus. Cauere tamen debet scandalum. Priuatim potest celebrare sine scrupulo.

CAPVT V.

Quanam requirantur, vt excommunicatio sit valida, & vt incurratur?

Suppono, vt excommunicatio sit valida, requiri Primò: vt lata sit ab eo, qui habet iurisdictionem in alium; & vt ea iurisdictione non sit suspensa per denuntiationem alicuius censure, vel notoriam Clerici percussionem. Secundò: vt sit lata ob culpam mortiferam externam, id est, procedentem in opus externum, quod secundum se sit peccatum mortale. Sed est

DVBIVM I.

Verum etiam requiratur aliqua monitio præcedens?

Respondeo; Vt Excommunicatio constet, debet antecedere aliqua monitio, vel iudicis, vel legis. Est communis sententia. Vide Co-uarruiam 1. parte §. 9. Patet Matthæi 18. vbi Dominus docet, vt fratrem corripiamus, antequam excommunicetur. Ad Titum 3. v. 10. Hæreticum hominem post primam & secundam admonitionem deuita. Idem patet ex Cap. Contingit. Cap. Constitutionem, & Cap. Cum medicinalis de sententia excommunicationis in 6 Ratio est: quia Excommunicatio solum debet ferri contra contumaces. Contumax autem nemo censetur, nisi monitus persistat in scelere.

27 Monitio necessandi præmittenda.

Dico Secundò: Hæc Monitio debet fieri cum interminatione Excommunicationis. Ita recentiores. Et ratio est, quia alioqui non videtur contumax contra potestatem Ecclesiasticam, nisi cõ-temnat eius minas.

Debet esse comminatio excommunicatio.

Dico